

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

De symbolica visione dei, disquisitio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

De

SYMBOLICA VISIONE DEI,

DISQUISITIO.

SECTIO I.

I. Ta est, mi Philaethe, quò plus in divinarum rerum cognitione proficimus, èd minùs nos profecisse intelligimus. Nec mirum. Quando enim earum superficiem spectamus, superficiem tantum putamus, neque immensam sub illa latitantem profunditatem suspicamus. Cùm igitur illam conamur emetiri, postquam longum atque inexplicabile iter nobis est confectum, tum demum nos innumeris adhuc parasangis à fine abesse deprehendimus. Multa certè mihi puero plana & expedita visa sunt, quæ nunc salebrosissima, imò inaccessa perspicio. Cujus rei illustre specimen ab Aristæo mihi suggestum, cùm nunc otium tibi sit, & animus, quantum ex vultu colligo, serenior, & ad meditandum aptior, tecum communicabo.

II. Memini me in prima adolescentia, non à Græcis solum, aut Romanis Scriptoribus, sed ab ipsis quoque Divinorum Oraculorum Interpretibus didicisse, sensibilem quandam olim inter Numen & Homines familiaritatem & aspectabile quoddam commercium intercessisse; Deum sæpe numero ad mortales descendisse, cum illis ambulasse, colloquia miscuisse, imò & convivia instituisse, neque auditu solum, sed & visu fuisse perceptum. Contrà, iisdem Autoribus didici, æternam atque simplicissimam illam Mentem ita ab omni materie immunem esse, ut nullâ omninò ratione corporeis oculis usurpari possit. Hæc quamvis secum invicem apertè colluctari videantur, usque adeò tamen consentanea & obvia esse putabam, ut de iis conciliandis ne quidem unquam cogitaverim; Donec nuper, cùm Abrahami sanctissimi Patriarchæ vitam, & convivii quo tres Angelos excepit historiam perconferem, studiorum meorum Comes *Aristæus*, multos eosque certè gravissimos mihi scrupulos eâ de re iniecit, de quibus eximendis nunc te rogatum volui, mi Philaethe.

III. *Decimum octavum Geneseos caput* perlegeram, cùm *Aristæus*; Nihilne, inquit, difficultatis ex hac lectione obortum est, quòd te torqueat? Nunquid vides ab omni ratione alienum esse, quòd Deus, quem contueri nemo potest, ab Abrahamo tamen ita familiariter conspectus fuisse dicitur? Imò vero, inquam ego; Quicquid difficultatis hoc est, vel Pueri nôrunt dissolvere. Angeli ni-

mi-

mirum hi fuere quos sanctus ille Vir excepit, non ipse Deus. Imò, inquit Aristæus, *Duos ex illis quidem Angelos fuisse*, Gen. XIX. 1. *Missos à Jehova, vers. 13.* haud gravatè! Tibi concesserim, tertius tamen certè JEHOVA ipse fuit; Hoc enim summo & per se ipsum existenti Numini proprium nec sub quocunque schemate Aliis communicandum nomen, Ipsi *cap. XVIII. vers. 1. & 13.* disertè attribuitur. Sed ne sic quidem Te expediisses, nam nec Angeli corporeo visui obnoxiam gerunt naturam, nec testimonia defunt, quibus Ipsum Deum ab hominibus conspectum fuisse evincam.

IV. IBI EGO; fateor equidem *Jehovæ* elogium, non nisi *Primæ Menti* competere, sed eo loco non Patrem, sed Æternum Patris Filium intelligi puto, qui in ἐπισημείωσις præludium sub visibili specie Mortalibus interesse cepit. ILLE CONTRÀ; sed ne hâc quidem responsione quicquam promotes. Filius fuit qui Abrahamo apparuit. Annuo. Sed Filius existens ἐν μορφῇ θεῶν: *nec dum enim seipsum exinaniverat, nec dum servi formam assumerat in hominis similitudinem factus*, Phil. II. 6. *nec dum sermo factus erat Caro, nec dum inter nos commorabatur*, Joh. I. 14. Eadem proinde Filii quæ Patris erat ratio, nec magis hic quàm ille externo visu poterat apprehendi.

V: Porro Ego; Quid si igitur dicam, Abrahami oculos per infinitam Dei Potentiam tanto tamque admirando lumine fuisse perfusos, ut quæ omnem aliorum aciem fugiunt, ab ipsis fuerint conspecta. Mortalibus omnibus invisibilis est Deus, si nimirum eos excipias, quibus ostendere se voluit. *Verùm Ille*; Sic iterum nihil ages. Aliud est naturâ invisibile, aliud est mihi vel tibi invisibile: Hoc, licet nos nunc forte non videamus, si tamen vel majori lumine sit perfusum, vel propius admotum, vel acies visûs nostri intendatur, videbimus: illud verò ne Divinâ quidem Virtute visibile unquam deveniet. Atomi subtilissimæ oculos meos fallunt, sunt tamen natura aspectabiles; corpuscula enim sunt; Eas igitur quamvis nunc perspicere nequeam, fieri tamen potest, ut alius vel ipse eas alio tempore videam. Verùm separatas ab omni materie INTELLIGENTIAS, quæ corpoream figuram nullam à se effundere possunt, nemo dicet se vidisse, quin idem manifesta contradictione se irretiat.

VI. Ad hæc Ego; quid si igitur visionem illam non externam atque corpoream, sed extaticam aut internam fuisse statuamus. CONTRÀ Aristæus; Tu verò hac ratione imprudens totam illam historiam in meros ludos atque præstigias convertis. Sic enim doces, Viros istos revera nullos fuisse, neque aliud quid narrari, quàm quòd Optimi Patriarchæ Phantasia aliquando à tribus rerum vacuis in ea obortis speciebus ita fuerit affecta, ut ipse, quos nunquam viderat, se tamen vidisse putaret. Quæ res si ita se habeat, quid, obsecro, at tenebat recensere, ubi nam, & qua tempestate, & quo animo prætereuntes illi Viri ab Abrahamo ad convivium & refrigerationem invitati fuerint? Nunquid & à Sara coctæ placentæ & vitulus & vitulinum lac & butyrum, quibus illi excepti

pti fuerunt mera discenda sunt ludibria & idola commotæ mentis? Nunquid & fingendum est, Sacram ibi vigilantem somniasse, quandoquidem istarum in Mariti cerebro obvolitantium imaginum non audivit solum sermonem, sed & illi accuratè respondit? Nunquid eadem ratione, quæ XIX. capite recensentur, in sola Lothi imaginatione gesta atque peracta fuere, unde mirum, quòd ex imaginaria illa hospitalitate argumentum adducit Apostolus Hebr. XII. 2. Absit, ut in tam monstruosam opinionem delabamur!

VII. Tandem Ego; nihil igitur restat, quàm ut dicamus, Deum non *in se* & *essentia sua*, sed in *symbolo* & *assumptâ specie* Abrahamo fuisse visum. Ad hæc Aristæus; Fateor, tritissimam & Doctioribus plerisque omnibus approbatam hanc esse responsionem. Verùm Tua, & illorum pace, liceat mihi in illam paulò accuratius inquirere. Statuis ergò, Deum non quidem in se & essentia sua, sed in symbolo & assumpta specie visum fuisse. Attende quæso verba Tua.

1. Sic Deum non vidit Abrahamus, sed Dei Symbolum; Dei autem Symbolum, profectò Deus non est. Ille enim infinitus est, & simplicissimus, & æternus, & invisibilis; Hoc finitum est, & compositum, & recens productum, & visibile. Certè qui Imperatorem non *in se* quidem, sed *in pictura* visum sibi esse dicit, ille eo ipso fatetur se Imperatorem nunquam vidisse: nec enim Imperatoris pictura, Imperator est. Et tamen inter Imperatorem & imaginem Ejus aliqua intercedit conformitas; inter Deum verò & istiusmodi Symbolum nulla omninò excogitari potest. Suspensa hedera vendibilis vini signum est, at quis adeò demens erit, qui dicat se vinum ipsum bibisse, quando non nisi hederam aspexit? nec tamen vinum & hedera infinito distant intervallo, quo scilicet Numen & Numinis Symbolum disjunguntur. Sacer Textus de Jehova loquitur; Tu Ejus loco, quod nihil minùs quàm Jehova est, substituis.

2. Porro in memoriam quæso revoca quod mihi paulò antè concessisti; Augustum Jehovæ nomen sub nullo schemate cuicunque creatæ rei attribui posse; illud tamen hac tuâ responsione corporeæ & evanidæ figuræ ascribis.

3. Adde, quòd si Sacrum literarum sensum ita detorquere liceat, ut quando de summo Numine loquuntur, nos ascititiam aliquam, & recens in aère conflantem imaginem intelligamus, nihil nobis relinquatur integri. Hæc methodo Marcionitæ, Docetæ, Alii, quæcunque hominibus apparuerunt, in phantasmata poterant convertere, nec erit quod Fanaticis opponamus, quando ipsis lubitum fuerit, per Christi corpus inanem aliquam speciem intelligere, & omnia, quæ vel Redemptor noster egit vel passus est, in ludibria & spectra resolvere. Ut enim tu dicis, non *Jehova* (quod Scriptura tamen asserit) sed alicui aëreo idolo convivium exhibitum fuisse; sic illi Christum non vero corpore indutum, sed sub fallaci simulacro in terris obambulasse & cum hominibus versatum esse dicent.

4. Porro, dic quæso, quid de symbolico istiusmodi Dei corpore sentias, cum ab Abrahamo discederet, an in nihilum protinus rediit, an in varias particulas diffutum novis adhuc corporibus materiem hodie præbet? Neutrum sine *Sapientie* & *Majestatis* Divinæ offensa dici poterit. Non illud; Sicenim verum esset asserere, *Jehovam* in nihilum evaporasse. Non hoc; sicnamque Dei corpus (quidnî enim ita nominabitur?) mutationibus variis obnoxium, forsitan etiamnum secundum quasdam sui partes hominem aliquem aut Leonem componit. Quorum utrumque quàm impium sit affirmare, quis non videt? nisi dicas, quicquid illud corporis confestim in cœlos evectum, & in Beatorum sedibus locatum esse. Sic nimirum natura creata à Deo assumta, jam aliquot ante Christi ascensionem seculis sanctuario illata fuit. Statuendum quoque tibi erit symbolicam istam materiem, vel animâ rationis compote informatam fuisse, vel brutam; Non hoc posterius dices, nisi velis & bruta corpora æterno Beatitudinis domicilio includi; Non prius, nisi illam integram atque completam, ratione præditam substantiam fuisse affirmes, & sic cum creato ὑφισταμένῳ Dei *Gloriam* communices.

5. Certè necesse est ut affirmes symbolum illud, vel cum ipsa Divina Essentia arctissimè unitum, vel solutum atque separatum fuisse. Si posterius hoc dicas, jam non magis symbolum illud, Dei symbolum fuit, quàm hoc ipsum lignum cui insides, vel aër quem respiras. Si prius allubescat, vel ὑποστατικῶς unitum dices, vel ἐνεργητικῶς. Non illud, sic enim Christus antequam ex Virgine natus esset, extitisset in carne; non hoc, sic enim Prophetæ, in quibus Æternus ille Spiritus & habitavit, & omnibus admirandâ operatione conspicuum se reddidit, *Jehovæ* nomen sine sacrilegio assumere potuissent.

Nec video cur ὁμολογημένως μέγα μυστήριον dicatur Apostolo, quòd in plenitudine temporis Deus in carne fuit manifestatus, & sub mortali specie in terras descendit, siquidem jam à primis seculis adeò usitatum erat Deo, humanam carnem, vel aliud schema induere, quo vestitus hominum consortio sese immisceret. Nec te quicquam juvabit, si dicas, conjunctionem inter Dei essentiam, & istiusmodi corpus non nisi accidentariam fuisse. Antalis igitur solummodò, qualis intercedit inter artificem & opus, inter motorem & motûs organum, inter Nautam & Navem? Ita credo sentis. At verò quid opus erat, ut istiusmodi simulacrum sibi adaptaret Deus? Dices in eum finem id factum, ut Abrahamo de *præsentia* Ejus, quem secundum *essentiam* videre non poterat, visibili istiusmodi notâ constaret. An ergò usque adeò imperitus erat Patriarcha ille, ut de Omnipræsentia Numinis dubitaret? nunquid & quælibet herba, & ipse ille vitulus quem in Convivio postea exhibuit, præsentem referebat omnium Autorem, Conservatorem atque motorem Deum? Quod ubique est, præsentia signo opus non habet.

6. Vides igitur, ut ista omnia cum *Sapientia, Majestate* Dei evidentissimè colluctantur; sed neque cum *Veritate* Ejus constare possunt. Nam, ut alia mitam, quàm imbellis atque infirma censenda erit Christi oratio, quando *Luce* xxiv. 39. Apostolis persuadet, id quod videbant, non spectrum aliquod, sed se ipsum Christum esse. *Videte, inquit, manus meas & pedes meos, quòd Ego ipse sum, contrectate & videte.* Nunquid positâ Tuâ illâ distinctione, fallax hæc est Servatoris nostri Disputatio? Nunquid Apostoli poterant excipere; *Te ipsum fortè non videmus, neque id nobis jam persuasum dedisti, sed quod hic manibus & oculis nostris usurpamus, forsitan Tui symbolum est, Ipse non es.* Adde quòd hæc sit *Veritatis* lex, ut ne quis alium se simulet, quàm ipse reverâ existit, neque ostendet id quod non habet. Purpurissum, quo facies obducitur, fucus est; larva qua quis alium vultum mentitur, fallax dicitur. Horreo cogitare, Deum quod non habuit, ostentasse corpus, aliumve sese exhibuisse, quàm qui est. Quo in schemate & *Bonitatem* quoque suam commaculasset, & violasset *Justitiam.* *Bonitatem* dico; Abrahamum enim in gravissimum, atque idololatricum errorem seduxisset. Certè enim Bonus ille Senex ibi adorabat id quod videbat, videbat autem creaturam. Nec proficis quicquam, si dicas, non ipsum symbolum, sed in symbolo Deum adorasse. Hic enim ipse est evanidus ille color, quo imaginum idolorumque cultum Pontificii atque Ethnici obdlexerunt, siquidem nec Illi lapides adorant aut ligna, sed in lignis & lapidibus Deum. Sed & *justitiam* suam Deus violasset; sibi enim Ipsi quod proprium erat, eripuisset, & *Gloriam* tum sui *indigitamenti*, tum religiosi *cultus*, in vilem, cui minimè competebat, transtulisset creaturam. Quæ omnia cum satis clarè & distinctè Tibi explicasse videar, jam evidenter constat, non *symbolum* aliquod, sed *ipsam Dei essentiam corporeis oculis ab Abrahamo conspectam fuisse.* Hæc Aristæus: ad quæ omnia, ut verum fatear, non ita plenè respondere potui, quin aliqui in mente residui manserint scrupuli, quos tu mihi eximes, mi Pilaethe.

SECTIO II.

Continens solutionem eorum, qua præcedenti Sectionimâ thesi objecta sunt.

Quandoquidem difficultatum, quas Aristæus movit, discussionem à me postulas, eam pro virili brevibus expediam, tuamque ultimam responsionem quâ Deum non *in se, sed in præsentie suæ symbolo* apparuisse statuis, utpote verissimam atque genuinam, vindicabo. Quod ut fiat, rem aliùs ordiri & hypotheses aliquot præmunire oportet.

HYPOTHESES.

1. **C**ùm Dei Natura immensa, nullisque adeò limitibus circumscripta sit, omnibus existit *præsens*, neque *procul abest ab unoquoque nostrum*, Act. XVII. 25. Ille enim qui à nemine distat, omnibus *præsens* est; *præsens* nimirum *essentiâ* sive *re*.
2. Sed cùm Dei Natura sit *actuossissima*, imò purissimus *Actus*, nusquam iners aut otiosa, ubicunque est, agit. Ubicunque igitur *essentiâ* *præsens* est, *præsens* etiam est *efficientiâ*.
3. Sed etiam si ubique existens, ubique agit; non tamen *idem* ubique agit, nec *eodem modo*. Equidem ut Universitatis rerum Imperator ac Præses providentiâ & imperio suo omnibus adest, omnia conservans & efficiens omnia in omnibus: cujus præsentix fundamentum, est necessaria & omnimoda Creaturæ à Creatore dependentia; ex qua sequitur, ut ubicunque existit creatura, ibidem necessariò quocunque præsens existat Creator, Conservator, Determinator & Director Deus. Verùm, ut Liberrimus Donorum suorum Dispensator sapius singularem quandam gratiam & peculiarem favorem quibusdam extraordinariâ actione comprobatur; cujus rei fundamentum non à necessaria Universali, sed à liberrima particulari providentiâ peti debet. Et quoniam illa, quæ communissima sensibusque nostris perpetuò exposita sunt, à nobis parum attenduntur, hinc fit, ut etiam si Universali ratione ubique agit Deus, non tamen alibi præfiori significatu dicatur *Præsens*, quàm ubi *particulari* & *extraordinario modo* operatur. Nimirum si quod miraculum aut ordinarias Naturæ leges transcendens exurgat portentum, ibi demum *Dei digitum* esse exclamamus; quamvis ubi vel minima herbula aut arbuscula crevit, ibi æquè sit Dei digitus, qui illam format.
4. At verò quocunque modo nobis aliquid præsens existat, nisi à nobis percipiatur atque cognoscatur, quodammodo perinde est, ac si à nobis abesset. Adsit quoad *substantiam* suam, exerat apud me quoque *actiones* suas, poterit tamen cognitionem meam effugere, adeoque à mente mea abesse. Sic quamvis nobis ipsis intimè præsentem simus, interdum tamen à nobis ipsis abesse, divagari & extra nos peregrinari dicimur; quemadmodum contra Amicus, qui, dum ego Heidelbergæ, ille Venetiis habitat, animo meo præsens obversatur. Atque adeò Deus, qui *naturâ* & *actu* non potest non nobis adeste, si notitiam nostram lateret, quodammodo remotus dici posset.
5. Vix quisquam autem est, quin Deum nobis omnibus *essentiâ* & *providentiâ* suâ intimè præsentem sciat, neque ad illam cognitionem alio opus est argumento, aut principio, quàm quod ex universâ rerum natura sponte occurrit: an verò Deus peculiari ratione nobis sit adfuturus, hoc certè non nisi peculiari quoque ratione intelligere possumus. Ibi sufficit, quamcunque videre

re creaturam : hinc minùs communi , imò & extraordinario signo opus est.

6. Signa autem, quibus in Cognitionem præsentia Divinæ deducimur, si *pure Intelligentiæ* & nonnisi *Mens* effemus, nonnisi intelligibilia & spiritualia forent. Sed quoniam non animo solum, sed & corpore constamus, & pleræque cognitiones ab externis sensibus ortum ducunt, conveniens est, ut & signa illa sensibilia sint, & quodammodo corporea.

7. Certum quidem est, multas ideas in intellectu existere, quæ à sensibus subministratæ non sunt: ut quando animus in seipsum descendit, aut inde ad Primam Mentem ascendit, aut latentes atque à materie immunes rerum naturas inquirat, ideas ex seipso haurit. Fatendum tamen omnem, quam de singulis rebus habemus, Cognitionem per sensus externos tanquam per fenestras aut ostia in ipsam mentis arcem penetrare. Nec enim aliunde mihi constat, Te hinc esse, quam quòd Te hisce meis oculis video. Consentaneum igitur maximè est naturæ humanæ, ut ea quæ à nobis percipi debent, sensibus nostris quantum fieri potest objiciantur. Hinc ex Prudentium præscripto, multa audienda, inspicienda multa, quò evadamus doctiores.

8. Verùm enimvero in tanta rerum multitudine pauca sunt, quæ *per se* & *directè* in sensus nostros incurrunt. Pleraque enim vel naturam obtinent spirituales, à sensibus extrinsecis omnimodè remotam: quo in censu & Deus & Angelorum classes, & moralium actionum facultatumque genera omnia, atque adeò cuncta tum religiosæ societatis, tum civilis vitæ principia locanda sunt: vel saltem propter temporis aut loci distantiam, aut alia impedimenta, corpoream nostram perceptionem fugiunt. Sic quicquid ante me gestum est, aut extra visus vel auditus mei circulum alibi existit, *in se* sensibile quidem, *mibi* tamen *insensibile* est. Illa igitur omnia sensibili quodammodo naturâ oportet vestiri, ut hac ratione, quæ *in se* visibilia & audibilia non sunt, talia tamen veluti artificio quodam deveniant, adeoque à nobis percipi possint.

9. Non autem ipsa rerum natura intrinsecus mutari, & sine sui everfione ex invisibili visibilis reddi potest; necesse igitur est, ut talis reddatur *per aliud*, per VICARIOS scilicet, qui eorum loco *auditui* & *visui nostro* sese ingerant. Auditum & visum nominamus, non quòd reliquos sensus penitus negligendos existimemus, sed quoniam hi duo nobiliores & Principes sunt.

10. Ante omnia igitur cum Natura nobis facultatem concesserit, quæ lingua potissimum flexu pro arbitrio & sine difficultate infinitos eosque inter se distinctos in aëre sonos edamus; nihil magis erat consentaneum, quam ut vocibus illis earumque varietate, ad res ipsas quascunque earumque differentias significandas, uteremur, adeoque auribus usurparemus ea quæ cæteroquin nullum à se ipsis sonum ad aures nostras transmittere possunt.

11. Verùm cum sonus naturâ suâ fugax citò pereat, (id quod ipsum provida Natura ita constituit, ut scilicet alius alii perpetuò succedere possiet)

neque ad remotiora loca longiùs deferri queat, duplex iste vocis detectus alio artificio fuit compensandus. Evanius nimirum ille, & nimis volatilis Mercurius, figendus & alligandus erat; ita ut quod auditui per sonos obijciebatur, illud ipsum visui per figuras, non obstantibus locorum aut temporum intervallis, exhiberetur.

12. Cæterùm nec inter ipsas aëris modificationes five sonos, & res per sonos illos significatas, neque etiam inter sonos & scriptas sonorum figuras, si-ve literas, naturalis aliqua intercedit cognatio, sed totum illud duplicis substitutionis negotium mutuo hominum pacto atque arbitrio transigi debet. Inter Vocem enim *Homo* & ipsum hominem nullum certè nativum vinculum existit. Quòd sonus ille (*Homo*) hominem notat, id ex primorum Latini sermonis Autorum constitutione proficiscitur: Quòd itidem quatuor istæ figuræ (*H, o, m, o*) sonum illum exprimunt, ab hominum pariter conventionem, non ex naturali utriusque conformitate oritur. Voces ergò & literæ, utpote ex mero arbitrio nostro institutæ, sunt quidem rerum notæ atque signa, imagines tamen non sunt; hæ enim cum ipsis rebus convenientiam aliquam habeant necesse est, ut eas non significant tantùm, sed & præsentent. Sic Vox hæc *Caput*, caput significat; *Imago capitis*, caput representat.

13. Imagines autem rerum in faciliorem, durabiliorem & plenioram cognitionem nos deducunt, quàm simplices voces aut literæ. Sic ex pictura vel uno momento, quale sit prototypum, percipio, cujus nequidem umbram ex quantumvis proluxa oratione addidicissem. Quare eam industriam Mortales adhibuerunt, ut non materiæ tantùm superficiem, ejusque colores, situm & limites, *picturis*; Sed & totum Corpus *statuis*; & motus, *automatis organis*, & quascunque corporeas actiones, *comica imitatione* exprimerent. Nec in corporibus representandis subsistendum putabant; visum est, & ea quæ in se ac naturâ suâ invisibilia sunt, visibili imagine representare.

14. Innuimus antèa in omni representatione, necessariò requiri convenientiam naturalem inter imaginem, & illud cujus est imago. Convenientia autem duplex est; alia *Physica*, *Metaphysica* alia. *Physica* intercedit inter corpora, qualis inter ovum, & ovum, & ovi picturam. *Metaphysica*, inter res quascunque; omnia enim inter se cognatione quadam continentur. Sic Deus, Angeli, Homo, habitus, corpora item animata, inanimata omnia, quadantenus in eo conveniunt, quòd durant, id est, in eodem statu permanent, licet nec pariter, nec ex eodem principio. Lapis igitur quadratus, utpote qui difficulter movetur, metaphysicam convenientiam habet cum illa voluntate, quæ immota in eodem statu diutiùs perdurat, adeòque constantiæ imago esse potest: ut contra inconstantia, Globus. Ob hanc Metaphysicam convenientiam homo alatus, Angelum; Virgo libram tenens, justitiam representat. Sic per hieroglyphicos characteres, emblemata, symbola alia, quæ in

se invisibilia sunt, visibilia referuntur. Et hæc quidem necessaria, vel saltem utilissima ad humanæ societatis cultum rerumque cognitionem adminicula sunt.

15. Verùm non inter homines tantùm, sed & inter illos & Deum commercium intercedit. Id enim & summa Parentis illius benignitas, & Hominum dignitas postulat, ut inter Primam illam Mentem, & has secundas Intelligentias consuetudo quædam existat. Proinde convenientissimum est, ut & mutua illa conversatio, signorum istiusmodi interventu, peragatur. Quamvis enim colloquia inter Puras atque ab omni materie immunes Intelligentias sine externis notis fieri possint, (quale etiam est illud, quod in interno mentis ascensu, & immediatæ inspirationis descensu consistit) quoniam tamen Homo *mens* est *corpore vestita*, idcirco naturæ Ejus quam maximè convenit, ut adnatis sibi organis in hoc quoque divinæ conversationis negotio utatur. Congruum enim est, ut omnia secundum naturam, quantum fieri potest, ordinariè fiant, nec ipse Deus cum rebus creatis plerumque aliter agit, quàm juxta ingenium, quod singulis indidit. Hinc Deus voluntatem suam non tantum hominum cordibus intrinsecùs inscripsit, vel rerum imagines in ipsorum mente aut imaginatione immediatè depinxit, sed & extrinsecas *Voces*, quæ veluti ex pacto cum hominibus inito, res ipsas significarent earumque cognitionem in mentem deveherent, adhibuit, & voces illas literis consignavit, eodem planè modo, quo homines solent vel voce, vel scripto cogitata sua aliis insinuare.

16. Neque hoc solùm signorum arbitrariorum genere usus est Deus, sed ut plenior esset illa cum Mortalibus conversatio, imagines quoque adhibuit, quibus res vel per se invisibiles, vel saltem nondum visas repræsenteret. Sunt autem imagines illæ duorum generum; aliæ existunt operâ & ministerio hominum, quales ex gr. sunt sciographiæ illæ & repræsentiones excidii Hierosolymitani, quas *Ezechiel* jussu Dei exhibuit, cap. revel. ejus IV. & V. Aliæ verò sine hominum interventu ab Ipso Deo immediatè productæ sunt, qualia v.g. tria ista emblematica corpora fuisse puto, quæ Gen. XVIII. Abrahamo apparuerunt; neque enim ab hominibus progenita aut formata fuisse leguntur.

17. Porrò istiusmodi imagines, vel *purè* tales sunt, vel *mixtè*. *Purè* imagines dico illa corpora, quæ non ob alium finem in rerum natura existunt, quàm ut aliquid repræsenterent; qualia itidem fuisse puto tria illa, de quibus modò dictum. *Mixtas* imagines voco illas, quæ *jam per se* in rerum naturâ existunt, & ut ita loquar *ordinarium suum & absolutum esse* obtinent, sed & præter illud *extraordinariam quoque relationem* induunt, quâ aliud aliquid nobis incognitum insinuant. Tales imagines sunt typi plerique omnes, qui cum ordinariam suam & absolutam naturam haberent, extraordinariam quoque & relativam à Deo receperunt.

18. Signa autem omnia vel *in se* & *pro se* considerantur, vel *præcisè* quatenus pro aliis rebus ponuntur: Ut abaculos æstimamus vel secundum propriam eorum materiem, æs scilicet aut cuprum; vel secundum illam positionem, quâ tertios aut aureos representant. Hinc in Scholis orta distinctio *suppositionis materialis* & *formalis*. *Materialis* suppositio, quâ signum aliquod per reflexionem, ut ita dicam, pro seipso sumitur, ut cum *Vox*, *Homo* secundum quatuor literas ex quibus coalescit, vel statua secundum æs vel marmor ex quo consistit, consideratur. *Formalis*, quâ signum spectatur secundum suum esse *objectivum*, ut vocant, & præcisè loco rei ipsius cuius signum est, accipitur.

19. Nunc porro notandum, *suppositionem materialem* in iis signis quæ §. 17. *purè-signa* diximus planè non attendi, cum signa illa extraordinariè in rerum natura existant, non ad alium finem vel utum, quàm ut significant. Circa corpora igitur illa, quæ Abrahamo apparuerunt, nullum omninò fuit periculum, ut Vir sapientissimus ea *materialiter* & *absolutè* consideraret; spectabat illa ut *purè-embemata*, ut corpora œconomica, ut picturas simpliciter-picturas, non verò ut *typos*, atque adeò non eo modo, quo *Melchisedecum*, quo *Isaacum* Filium suum considerasset. Nimirum Isaacum suum interdum spectare & amare poterat simpliciter ut Filium, interdum ut Eum, qui futuri Benedictionis seminis existeret typus; Melchisedecum colere poterat, velut Amicum & Regem, vel ut futuri Messiae figuram: verùm cum tres illos purè-symbolicos Viros agnosceret, non aliter eos considerare poterat, quàm ut tres substantiales imagines quarum *totum esse* erat significare, & quæ non existebant, nisi ut triplicem sustinerent relationem.

20. Videlicet prima Earum relatio erat ad Deum quâ *revelantem*; altera ad Deum *Redemptorem*, quâ *revelandum*; tertia ad *Abrahamum*. Prima ad Deum, quâ *revelantem*, ut non quidem *universalis* suæ (quid enim ad eam opus fuisset symbolo?) sed *singularissimæ* & *gratiosissimæ presentie* signum daret, & sub Viri schemate, tum iusta iudicia sua, tum gratiam & misericordiam familiari colloquio contestaretur. Altera relatio ad Deum, non quâ simpliciter Deum, sed quâ Deum *in carne* manifestandum; quem illorum symboli-corum Virorum unus non solum præsignificabat adventurum, sed & quoad expiationis peragenda virtutem atque efficaciam jam tum existentem ostendebat & præsupponebat. Extra Sponsoris enim hypothesin, atque adeò extra satisfactionis vel præstitæ, vel præstandæ considerationem, nullum *Gratiæ* verbum Deus salvâ iustitiâ suâ Peccatoribus prædicare, multò minùs œconomicam illam familiaritatem cum iis instituere, aut admirandam istiusmodi comestationem, in futuræ æternæ convivationis, Matth. VII. Luc. XIII. symbolum celebrare potuisset. Tertia relatio erat ad *Abrahamum*, cuius animus istiusmodi extraordinariorum corporum visione, tum ad attentionem præ-

sentia Divina preparabatur, tum ad minas & promissiones, quas ipse partim ut Justus Judex, partim ut optimus Pater in ipso convivio, & post sublatas mensas ibi proponebat accuratius, & cum majori diligentia considerandas & memoriâ retinendas, excitabatur.

DECISIO.

His positis, difficultates, quas *Aristeus* movit, sponte ruunt omnes, adeo ut operæ pretium non videatur singulas fusiùs persequi. Brevissimè igitur quid ad quamque reponendum, indigitabimus.

Ad primam; Abrahamus Deum vidit, quando Dei Symbolum vidit; non quòd symbolum illud ipse Deus, sed Dei symbolum fuerit. Similitudo ab *Imperatore* petita, dissimilis est. Imperator enim & in se & in symbolo videri potest: Deus in se invisibilis, non nisi in Symbolo est adspectabilis. Quòd si igitur dicas, Te Imperatorem vidisse, ambiguum est, an Imperatorem ipsum in se, an *figuram* Ejus conspexeris. Si verò Deum à Te conspectum esse, affirmes; jam satis liquet, non illud de ipsa invisibilis Dei essentia esse intelligendum, ex *hypoth. 8.*

Ad secundam: Jehovæ nomen non propterea attribuitur creaturæ. Symbolicum enim corpus cum nullum habeat esse, nisi *relativum*, non *materialiter* sed *formaliter* tantum hæc sumitur ex *hypoth. 18.* Quemadmodum igitur Ludimagister, qui prima Hebraicæ literaturæ elementa tradit, quando discipulus inter legendum in nomen *Jehovæ* incidit, sed in illo pronuncians fortè hæsitat, rectè monet; hæc vox *Jehova* est; nec quisquam tamen ita erit ineptus, ut inde Pædagogum illum sacrilegii accuset, quòd nigellis istis literulis vel sonis, quibus vox *Jehovæ* constat, ipsum augustum atque incommunicabile Dei nomen attribuerit: Sic etiam si Symbolicum corpus dicatur esse *Jehova*, ineptè tamen colligitur, *Jehovæ* nomen illi ascribi, cum in ista propositione vox (*Symbolum*) *formaliter*; Vox (*Jehovæ*) *materialiter* accipiatur, ex *hypoth. 19.*

Ad tertiam; Jam constat, nos intelligere id quod Spiritus Sanctus intendit; non igitur sensum ejus detorqueamus. Nec Fanatici triumphabunt, nisi priùs evincant, eandem esse rationem invisibilis Dei, quæ ratio est aspectabilis naturæ humanæ: nec spectra nos aut larvas comminiscimur, sed corpora vera, licet symbolica, ex *hypoth. 16. & 17.*

Certè quæcunque homines unquam viderunt, fuerunt corporea, alioquin ea non vidissent.

Ad quartam; Parum refert, quid symbolicum istud corpus postea devenerit. Ut indignum non fuit *Majestate* Dei, quòd corpora Martyrum, quæ tamen Spiritus Divini templa extiterent, bestiis objecta, aut flammis in aërem soluta,

ta, & in cineres redacta fuerunt, sic neque blasphemum est affirmare, symbolicam istiusmodi materiem aliis postea novis subinde mutationibus obnoxiam aliorum corporum partem constituisse. Nunquid Christi corpus, quod tamen intimè cum Deitate conjunctum mansit, ante resurrectionem perpetuæ transpirationi obnoxium fuit? Nunquid ex eo sequitur, aliquas illius partes hodiernum adhuc in inferiori hac rerum sphaera corporum aliorum compositioni immixtas esse? Et tamen illud *personaliter*, symbolicum verò corpus nonnisi *assistentialiter* cum Divina Natura est conjunctum.

Ad quintam; Symbolum fuit unitum cum Dei essentia non *επισημαντικῶς* sed *ἐνεργητικῶς*; non tamen *assistentiâ*, aut *operatione generali*, quâ Deus aërem & omnia movet, sed *speciali extraordinaria*, ex *hypoth. 3.* Præsentiam quoque ex illo symbolo collegit Abrahamus non universalem quidem, sed specialissimam, juxta *hypoth. 20.*

Ad sextam; Distinctione nostrâ admisâ manet tamen Christi argumentum, Luc. XXIV. 39. efficacissimum. Corpus enim Christi *naturâ* visibile erat, neque ratio legitima succurrere poterat, propter quam Apostoli existimarent, symbolum potius esse corporis, quàm ipsum corpus. Verùm cum Dei natura sit immaterialis, certè non poterat non Abrahamus id, quod videbat, pro symbolo accipere.

Nec Dei *Veritas* hâc sententiâ labefactatur. Justitiam emblemate depingere, non est mentiri: sed corpus alio corpore, ceu fucis, obducere, sinceritati ac veritati obluclatur. Invisibilem repræsentatio symbolica, fallacis ascribi non potest, juxta *hyp. XIV. & seqq.*

Nec Deus hoc modo in idololatriam induxit Abrahamum, nec enim Abrahamus symbolum, sed ad symbolum adoravit Deum: ibi namque ubi se ille specialiter manifestabat, certè erat adorandus.

Nec in se injurius fuit Deus; neque enim Gloriam indigitamenti aut cultûs sui cum symbolo communicavit, ut ex antecedentibus constat.

Cœterum, si quid scrupuli restat, hypotheses præstructas meditare; illarum operum omnes eximes. Ista verò pro tempore dixisse sufficiat,